Sac. FELIX M. CAPPELLO

DE AETATE ADMITTENDORUM AD PRIMAM COMMUNIONEM EUCHARISTICAM

SEU

COMMENTARIUM

IN

DECRETUM "QUAM SINGULARI„



ROMAE
TYPIS CUGGIANI
1911

6065

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR

CAPUT I.

DECRETUM " QUAM SINGULARI „

ART. I.

Notiones praemittendae

Summarium. — 1. *Textus Decreti.* — 2. *Vis iuridica eiusdem.* — 3. *Finis.* — 4. *Quaestiones.*

1. Decretum " Quam singulari „.

« Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosequutus, Evangelii paginae plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit: ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei* [1]. Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit quum, advocato parvulo, discipulis ait: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum. — Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit* [2].

» Haec memorans catholica Ecclesia, vel a suis primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam Communio-

[1] Marc., X, 13, 14, 16.
[2] Matth., XVIII, 3, 4, 5.

nem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eiicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

» Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

» Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et Augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, solemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio praescribitur et Sacra Communio, hisce verbis: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos di-
» scretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fide-
» liter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam
» sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens
» reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum,
» nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationa-
» bilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit absti-
» nendum ».

» Concilium Tridentinum [1], nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Eucharistiae ante usum ra-

[1] Sess. XXI, *de Communione*, c. 4.

tionis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent: « Si quis negaverit omnes et singulos » Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos discretionis » pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad com- » municandum, iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema » sit » [1].

» Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

» Verum in hac rationis, seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Poenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad Poenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis indicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seriorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica Communione pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus.

» Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret, quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero

[1] Sess. XIII, *de Eucharistia,* c. 8, can. 9.

primae Communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis Confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

» Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis Confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

» Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, Sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

» Eiusmodi damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae Communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Ianseniani erroribus esse profectum, qui Sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus quum docuit, eam esse « antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a pec- » catis mortalibus praeservemur » [1]; quae doctrina nuper a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die XXVI mensis Decembris an. MDCCCCV lato, quo ad Communionem quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

» Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione

[1] Sess. XIII, *de Eucharistia*, c. 2.

versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

» Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quaenam sit aetas discretionis, qui aliam Poenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas in qua puer usum rationis est assequutus.

» Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiae constat, synodus plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam Communionem admisisse. Exstat praeterea summae auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cuius haec legimus: « Quando iam pueri *incipiunt aliqualem* usum ra- » tionis habere, ut possint devotionem concipere huius Sacra- » menti (Eucharistiae), tunc potest eis hoc Sacramentum con- » ferri » [1]. Quod sic explanat Ledesma: « Dico ex omnium con- » sensu, quod omnibus habentibus usum rationis danda est Eu- » charistia, quantumcumque cito habeant illum usum rationis; » esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid faciat » [2]. Eumdem locum his verbis explicat Vasquez: « Si puer semel » ad hunc usum rationis pervenerit, statim ipso iure divino ita » obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum omnino liberare » [3]. Eadem docuit S. Antoninus, scribens: « Sed cum est doli capax

[1] *Summ. Theol.*, 3 part., q. 80, a. 9, ad 3.
[2] In S. Thom., 3 p., q. 80, a. 9, dub. 6.
[3] In 3 p. S. Thom., disp. 214, c. 4, n. 43.

» (puer), cum scilicet potest peccare mortaliter, tum obligatur » ad praeceptum de Confessione, et per consequens de Communione » [1]. Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat Sess. XXI, c. 4: « parvulos usu » rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem » Eucharistiae communionem », unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: « Siquidem, inquit, adeptam » filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt ». Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros Communionis necessitate atque obligatione teneri quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiae sumendae incipere « postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, ad illam videlicet aetatem in » qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum, » qui alius non est quam verum Iesu Christi corpus, a pane » communi et profano, et sciunt accedere cum debita pietate » ac religione » [2]. Catechismus Romanus autem, « qua aetate, » inquit, pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi confiteantur pec» cata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, » an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acce» perint et gustum habeant » [3].

» Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum Fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio;* neque plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam

[1] P. III, tit. 14, c. 2, § 5.

[2] *Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Comunione,* Append. XXX, p. 11.

[3] P. II, *De Sacr. Euchar.,* n. 63.

incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis*. Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX litteris Cardinalis Antonelli ad episcopos Galliae datis die XII Martii anno MDCCCLXVI invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae Communionis ad maturiores eosque praefixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die XV mensis Martii an. MDCCCLI Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad Communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentinensi die XXV mensis Martii anno MDCCCCX: in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram Communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit: « Pueros et puellas, cum ad annos discre-» tionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram mensam » admittendos esse ».

» Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic Ordo de disciplina Sacramentorum, in generali Congregatione habita die XV mensis Iulii an. MDCCCCX, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam statuere opportunum censuit:

» I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

» II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae co-

gnitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

» III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

» IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

» V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

» VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

» VII. Consuetudo non admittendi ad Confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

» VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

» Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita SSmus D. N. Pius Papa X, in audientia diei VII currentis mensis omnia adprobavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre.

» Non obstantibus contrariis quibuslibet.

» Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. Congregationis, die VIII mensis Augusti anno MDCCCCX.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *a secretis* ».

2. Vis iuridica decreti.

Decretum « Quam singulari » editum quidem fuit a S. Congr. Sacramentorum, at nullum dubium quin approbatum fuerit a R. Pontifice *in forma specifica.* Duplici enim modo Summus Pontifex approbare valet decreta, decisiones aut sententias Sacrarum Congregationum: *in forma communi* et *in forma specifica.* Maximum intercedit discrimen unum inter et alium modum. Vi siquidem approbationis *communis* decisio vel decretum maioris momenti fit, sed tamen in sua intrinseca natura manet prout est decisio vel decretum Congregationis tantum; vi ap-

probationis *specificae* actum fit vere ac proprie *pontificium*, ita ut censeri debeat non tamquam a S. Congregatione promanans, sed immediate ab ipso Romano Pontifice editum [1]. Formulae porro quibus Pontifex utitur in approbatione concedenda, manifesto indicant utrum approbatio sit in forma communi vel specifica. Ita passim Auctores [2]. Inter formulas autem quae specificam approbationem exprimunt, Canonistae hanc quoque recensent: « *Non obstante quacumque lege seu consuetudine in contrarium* » [3]. Atqui decretum, de quo nunc agimus, in fine refert profecto formulam praedictam; ergo a Summo Pontifice fuit approbatum in forma specifica; quapropter decretum iuridice haberi debet ut vere ac proprie *pontificium*. Docent praeterea Canonistae decisiones aut decreta Sacrarum Congregationum in forma specifica approbata naturam legis universalis induere si Pontifex iubeat publici iuris fieri [4]. Iamvero haec quoque circumstantia in casu nostro habetur. In fine decreti enim legitur: « Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita SSmus D. N. Pius Papa X..... omnia adprobavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum ».

Ex his satis superque constat decretum « Quam singulari » vim legis habere universalis.

3. **Finis.**

Non modo veteres theologi, sed ipsi quoque recentiores diversas opiniones profitentur circa aetatem qua pueris obligatio incumbit Eucharistiam primum suscipiendi. Alii enim decimum

[1] Cfr. Cappello, *De Curia Romana*, vol. I, p. 54.
[2] Cfr. Cappello, l. c.
[3] Cfr. Barbosa, *De clausulis*, 82, 177, etc.; Pirhing, lib. II, tit. XXX, n. 8; Reiffenstuel, lib. II, tit. XXX, n. 10.
[4] Cfr. Cappello, op. cit., vol. I, p. 40 ss.

primum vel secundum saltem aetatis annum requirunt; alii affirmant necessariam esse peculiarem institutionem religiosam; alii docent post adeptum rationis usum licite pueros differre posse Communionem reverentiae causa; alii aliter opinantur. Quo ex theologorum dissensu ortum habuerunt pluribus in dioecesibus consuetudines pravae atque abusus detestabiles; eo vel magis quod, sicut in aliis contingit rebus, ita etiam in hac re, prae oculis minime habita fuit mens Christi in sacramento Eucharistiae instituendo ac mens Ecclesiae in illo fidelibus ministrando: et Angelici Doctoris doctrina plus minusve neglecta fuit. Pius X qui merito nuncupatur *Pontifex Eucharistiae* praedictos abusus et pravas consuetudines auferre optimo consilio cupiens, regulam certam, claram atque perspicuam tradidit circa aetatem qua pueri ad sacram Communionem sunt admittendi, contraria theologorum opinione reiecta ac proscripta.

4. Quaestiones.

Quaest. I. *An decretum valeat etiam quoad regiones S. Congregationi de Propaganda Fide subiectas?*

R. Primo intuitu negative videretur esse respondendum. Vi enim Constit. « Sapienti consilio » competentia S. Congregationis Sacramentorum, a qua editum fuit decretum, matrimonio excepto [1], regionibus quae iure communi reguntur circumscripta est. Quapropter, cum decretum « Quam singulari » a praedicta Congregatione prodierit et minime respiciat matrimonium, de quo decernere valet etiam quoad regiones iuri communi non subiectas, prono alveo concludendum videretur ipsum nullo modo respicere subditos S. Congr. de Prop. Fide. At neminem latet contrariam responsionem indubie esse exhibendam. Et

[1] Cfr. Cappello, op. cit., vol. I, p. 177.

sane superius diximus decretum fuisse a R. Pontifice in forma *specifica* approbatum ac iussu eiusdem publici iuris factum, et proinde vim legis universalis habere. Ergo suapte natura non modo regiones iuri communi obnoxias respicit, sed loca quoque S. Congr. de Prop. Fide subiecta.

Quaest. II. *Decretum habetne valorem legis etiam quoad Orientales?*

R. Alibi dicimus penes Orientales etiam hodie consuetudinem vigere Eucharistiam infantibus ministrandi statim post baptismum; at animadvertere praestat huiusmodi usum nonnisi in quibusdam locis esse receptum. Qua de causa quaestio respicit regiones Orientalium, in quibus consuetudo viget Sacram Communionem pueris praebendi post adeptum rationis usum.

Theologi et Canonistae uno labio affirmant Orientales Pontificiis Constitutionibus non ligari nisi triplici in casu: 1° quando agitur de rebus fidei et morum; 2° quando lex ecclesiastica declarat vel interpretatur ius divinum aut naturale; 3° quando explicite in Pontificiis Constitutionibus mentio occurrit de Orientalibus [1]. In casu nostro nulla mentio occurrit de Orientalibus: tamen cum decretum declaret seu interpretetur ius divinum quoad obligationem quae pueris incumbit Eucharistiam primum suscipiendi, procul dubio patet decretum ipsos quoque Orientales respicere.

Quaest. III. *An consuetudines huic decreto contrariae admitti possint?*

R. Nullo modo admittuntur consuetudines contrariae, neque praeteritae neque futurae. Hoc porro duplici ratione indubie affirmamus: tum quia mens R. Pontificis satis superque colligitur ex verbis in fine decreti relatis « *non obstantibus contrariis quibuslibet* »; tum quia materia ipsa penitus excludit quamlibet

[1] Cfr. Cappello, op. cit., p. 242.

contrariam consuetudinem; agitur enim de re quae ipsum ius divinum directe ac immediate respicit. Qua de causa consuetudines praeteritae seu praesentes veluti corruptelae sunt habendae; futurae autem tamquam pravi abusus sunt a priori damnandae.

QUAEST. IV. *An quae in decreto continentur sint de consilio, vel potius de praecepto?*

R. Omnia et singula quae in decreto habentur, sunt de praecepto. Id enim manifesto colligitur ex mente legislatoris seu Summi Pontificis, qui ad hunc finem decretum approbavit et quidem in forma specifica ac publici iuris fieri iussit.

QUAEST. V. *An obliget sub gravi vel sub levi decretum?*

R. Materia suapte natura gravis est, ut luculentissime patet; agitur siquidem de praecepto divino quoad sanctissimum Eucharistiae sacramentum. Licet igitur explicite non loquatur de gravitate praecepti legislator, ea nihilominus perspicue eruitur ex substrata, ut aiunt philosophi, materia, quae gravem esse neminem latet.

QUAEST. VI. *An et quomodo decretum promulgatum fuerit?*

R. Procul dubio decretum promulgatum fuit, secus enim vim obligandi non haberet. Seposita enim quaestione utrum promulgatio sit de essentia legis, qua in re nos opinamur eam necessariam non esse quasi intrinsecum requisitum, sed tantum veluti extrinsecum [1]; certum est practice legem non obligare nisi legitime a Superiore promulgata sit. Decretum porro, de quo agimus, rite recteque promulgationem obtinuit eo ipso quod insertum fuit in *Commentario Officiali*. Hoc modo sane nunc temporis acta pontificia promulgantur, vi Constit. « Promulgandi » diei 29 Sept. 1908.

---

[1] Cfr. Cappello, op. cit., p. 55.

ART. II.

De subiecto Eucharistiae

Summarium. — 1. *Doctrina.* — 2. *Disciplina antiqua.* — 3. *Disciplina hodierna quoad Ecclesiam Latinam.* — 4. *Disciplina hodierna quoad Ecclesiam Orientalem.* — 5. *Quaestiones.*

1. Doctrina.

Eucharistia idest *bona gratia* aut *gratiarum actio,* non modo quia eam gratias Patri agendo Christus instituit, sed potissimum quia ipsum gratiarum fontem in se continet, omnibus aliis sacramentis praestat.

Est enim, ut passim loquuntur SS. Patres, sacramentum ad quod reliqua referuntur tamquam ad finem: compendium nimirum fidei, cultus ac bonorum omnium in Christo, iuxta illud: « *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se* » (Ps. CX).

Duplici sub respectu considerari potest Eucharistia: in ordine ad homines quos supernaturali gratia sanctificat, et *Sacramentum* dicitur; in ordine ad Deum, seu ad cultum, et *Sacrificium* nuncupatur. Eucharistia, qua sacramentum, definiri solet: sacramentum quo sub speciebus panis et vini continetur vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis una cum anima ac divinitate D. N. Iesu Christi ad fidelium spiritualem refectionem.

Omnes fideles teneri de praecepto divino Eucharistiam sumere non tantum in articulo mortis per modum Viatici, at saepius quoque in vita, compertissimum est. Christus enim explicite declaravit: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* » [1].

[1] Joan., cap. VI, 54.

Quinam porro Eucharistiam sumere possunt vel tenentur? Omnis et solus homo baptizatus subiectum est Eucharistiae. Ita passim Doctores. Qua in re animadvertere praestat quosdam ab Eucharistia suscipienda ipso divino iure repelli, quosdam iure ecclesiastico tantum.

Inspecto *iure divino,* sacrae communionis incapaces sunt: *a*) angeli, animae a corpore separatae, vel corpori unitae post universale iudicium; cum sacramenta sint instituta pro hominibus viatoribus: *b*) non baptizati baptismo aquae; nam baptismus est ianua sacramentorum. Consulto diximus *baptismo aquae;* siquidem sententia Glossae [1] quae affirmat non baptizatos baptismo aquae, qui tamen per fidem et charitatem perfectam cum baptismi voto sanctificantem gratiam iam receperint, posse ad sacram synaxim admitti, est prorsus reiicienda, utpote « aliena a principiis receptis ab omnibus theologis », testante clarissimo Suarez [2]. Hoc plane confirmatur Ecclesiae praxi, quae nunquam catechumenos ad Eucharistiam recipiendam admisit. Omnes alii praeter exceptos, seu omnes homines viatores sunt iure divino capaces sacrae Communionis. At, quamvis iure divino capaces, quidam fieri possunt incapaces iure ecclesiastico. Quod minime repugnat. Ecclesiae enim Christus commisit sacramentorum administrationem; merito proinde ipsa iusta de causa, nimirum ob irreverentiae periculum aliasque rationes, potest prohibere et de facto prohibet quominus nonnulli sancta de altari libent.

Incapaces *iure ecclesiastico* sunt: *a*) omnes usu rationis carentes, seu infantes, saltem quoad Ecclesiam latinam, mentecapti, fatui, idiotae, etc. qui rationis usu plane destituuntur; de iis fuse alibi; *b*) qui eodem die sacra Communione iam refecti sint; cum fideles sub gravi sacrilegii culpa prohibeantur pluries in die ad Mensam Eucharisticam accedere; quemadmodum sacerdos

[1] In cap. 3, *De presbytero non baptizato.*
[2] In 3 p. D. Thomae, disp. LXII, sect. III, n. 5.

pluries in die celebrare nequit Missas, nisi necessitas urgeat ac licentia legitime obtineatur.

Praeceptum divinum de Eucharistia sumenda diverso modo respicit *infantes* et *adultos*. Infantes enim non tenentur sacram communionem ante adeptum rationis usum recipere, ut disertis verbis declarat Trid. Synodus: « Denique eadem S. Synodus docet parvulos *usu rationis* carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem; siquidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt » [1]. Et dein in can. IV definit: « Si quis dixerit parvulis antequam *ad annos discretionis* pervenerint necessariam esse Eucharistiae communionem, a. sit ».

Quod autem de infantibus diximus, nullum dubium quin sit quoque dicendum de mentecaptis, fatuis aliisque usu rationis carentibus. Adulti contra vi praecepti divini tenentur Eucharistiam sumere non tantum in articulo mortis, sed pluries etiam in vita. Vox *adulti* porro non significat homines plenitudinem aetatis assecutos, at homines qui rationis usum adepti sint. Re quidem vera Concilium Trid. [2] definivit: « Si quis negaverit omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri ... ad communicandum iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, a. sit ».

2. **Disciplina antiqua.**

Ex testimoniis venerandae antiquitatis satis superque constat pluribus in locis sive Orientalis sive Occidentalis Ecclesiae morem viguisse ut infantes statim post receptum baptismum

[1] Sess. XXI, cap. IV.
[2] Sess. XIII, can. 9.

aut sequentibus infra octavam diebus Eucharistiam reciperent sub utraque specie.

Lactentibus vero sacra Communio dabatur sub specie vini tantum, ob irreverentiae periculum, intincto nimirum sacerdotis digito in sanguine, quem infans sugebat. De hac consuetudine mentio occurrit in Concilio Tolet. II, can. II; de ipsa testatur quoque Gregorius Magnus in veteri Missali, et Cyprianus in sermone 5 *de lapsis*. Evagrius [1] narrat penes ecclesiam Constantinopolitanam consuetudine receptum esse, ut si multae particulae consecratae superfuissent, ex schola pueri accerserentur, ad eas consumandas. Concilium Matisconense II, cap. 6, expressis verbis praedictum usum approbavit: « Quaecumque reliquiae sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo cuius interest ad ecclesiam adducantur, et indicto eis ieiunio easdem reliquias conspersas vino percipiant ». Innocentes, de quibus loquitur Concilium, sunt infantes, utpote qui doli nondum capaces. Saeculo VIII hanc consuetudinem viguisse, colligitur ex Alcuino in lib. *de divinis Officiis,* cap. *de Sabbato sancti Paschae,* ubi ita loquitur de infantium baptismo: « Postea vestitur infans vestimentis suis; si vero episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, et postea communicare; et si episcopus deest, communicetur a presbytero dicente ita: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam* ... Sed et hoc praevidendum est, ut nullum cibum accipiant, neque lactentur, antequam communicent. Omni autem die usque in octavas ad Missam veniant et communicent ». Saeculo XII eumdem usum in Ecclesia Latina extitisse manifesto patet ex Hugone de S. Victore [2] qui scribit: « Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum, digito sacerdotis, quia

[1] *Histor. eccl.*, lib. 4, c. 35.
[2] *De Sacramentis*, lib. I, c. 20.

tales naturaliter sugere possunt ». Idipsum occurrit in ordine baptismi Aethiopum [1] in quo legitur: « Postea sumunt sacramentum sanctum et vivificans, spondente sacerdote pro eis, corpus scilicet sanctum et sanguinem venerandum Domini Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi ».

In margine autem haec notiuncula adiecta invenitur: « Videlicet si adulti sint: alioquin enim pollicem tantum immittit in Christi sanguinem, et eorum linguae immittit ».

Clariss. De Lugo hisce verbis post allata documenta de consuetudine praedicta concludit: « Constat enim ex supra adductis, in omnibus fere provinciis usum illum viguisse... in Occidentali vero, seu Latina (Ecclesia), vidimus Africam, Hispaniam, Galliam, Romam ipsam hunc morem tenuisse » [2].

3. **Disciplina hodierna quoad Ecclesiam Latinam.**

Progressu temporis Ecclesia Latina ab usu infantibus Eucharistiam praebendi recessit. Ratio porro, ut manifestum est, ex irreverentiae periculo videtur repetenda. Quo tempore praecise mos contrarius invaluerit, historicis documentis perspicue determinari nequit. Si quid nobis asserere liceat, contrariam consuetudinem quoad *lactentes* profluere suapte natura dicimus ex lege vetante sumptionem Eucharistiae sub specie vini, de qua loquitur Concilium Trid., Sess. XXI. Catechismus vero eiusdem Concilii [3] causas enumerat ob quas in Occidente sub unica tantum specie laici ac clerici non celebrantes communionem recipere teneantur. In Ecclesia Latina hodiedum soli ministri in Missa solemni R. Pontificis sub utraque specie communicant.

[1] Cfr. *Biblioth. Patr.*, t. 4 ; De Lugo, *De Sacramento Euch.*, disp. XIII, sect. II, n. 11.

[2] Op. cit., l. c., n. 12.

[3] P. II, c. IV, § 66.

Neminem autem latet Summum Pontificem posse ab hac prohibitione, quae disciplinaris tantum est, iusta interveniente causa dispensare. Quandoque S. Sedes dispensavit, at nonnisi raro et peculiaribus in adiunctis. Benedictus XIV [1] quaedam exponit dispensationis indulta. Quoties R. Pontifex dispensationem elargitur, exigere solet ut ille qui indulto utitur, prius declaret ac profiteatur se credere totum et integrum Iesum tam sub una quam sub altera specie contineri [2]. Quoad reliquos infantes, sc. *non lactentes,* mos contrarius, ipsis nimirum Eucharistiam non praebendi, vi consuetudinis inductus fuit [3]. Haec consuetudo habetne hodiedum valorem legis, ita ut omnino obligatoria sit? Et si affirmative, obligatne sub gravi vel potius sub levi? Nullum dubium quin consuetudo praedicta vim legis induat, ut passim docent Auctores; cum porro materia natura sua gravis sit, ipsa consuetudo sub gravi profecto obligat.

4. **Disciplina hodierna quoad Ecclesiam Orientalem.**

Quaenam antiquis temporibus ac recentiori quoque aetate penes Orientales praxis viguerit, manifesto constat ex responso S. Congr. S. Officii sub die 14 Iunii 1741, quod nos ad litteram referre opportunum ducimus:

« Dal P. Remigio da Trento Min. Rif. missionario nell'Egitto e Presidente nell'Ospizio di Achmim sono stati proposti alcuni dubbi attinenti al rito dei copti, i quali lo tengono in molta agitazione.

» Venendo praticato il dare la Comunione del Sangue ai bambini nati di fresco di otto giorni in circa, pare al detto religioso un tal uso assai disconvenevole, non solo perchè i detti

[1] *De sacros. Missae Sacrif.,* lib. II, cap. XXII, n. 22.
[2] Cfr. Gasparri, *De Eucharistia,* vol. II, n. 1176.
[3] Cfr. De Lugo, l. c., n. 33; Gasparri, l. c.

fanciulli sono esposti alla facilità del vomito, ma perchè, ciò seguendo, e cadendo il vomito sopra le vesti di chi sostiene il bambino, le medesime si lavano poi senza riguardo come gli altri panni usuali, gettandosi l'acqua in luoghi immondi. Oltre di che avendo esso ed altri missionarii del suo Ordine conferito in Achmim il battesimo senza la detta Comunione, e senza che dai parenti del bambino, o da altri fosse loro fatta istanza di comunicarli come sopra, crede un tal uso potrebbe togliersi, a tenore della dottrina di diversi autori, i quali, approvando per una parte la detta Comunione, vi aggiungono la clausola *nisi aliter cum prudentia introduci possit latinus usus.*

» Emi DD. decreverunt quod nihil innovetur, iuxta Instructionem Rmi P. Commissarii.

» Instructio. Rappresenta il P. Remigio esser uso e pratica dei copti in Egitto di dare la Comunione del Sangue ai bambini nati di fresco di otto giorni in circa, il che dà causa al seguente inconveniente, poichè essendo questi bambini esposti alla facilità del vomito, non di rado succede che, cadendo il vomito sopra le vesti dei padrini, che li sostengono, si lavano poi queste cogli altri panni usuali, gettandosi l'acqua in luoghi immondi, laddove non usandosi tal cerimonia dai missionarii latini, non ne risulta alcuna irriverenza al Sacramento... Sopra la rappresentanza di tale inconveniente, deve esser ben noto al P. Remigio ricorrente che tale cerimonia di comunicare i bambini dopo il battesimo, e nella stessa funzione del Battesimo, è antichissima nella Chiesa greca, ed è registrata nel Rituale chiamato *Euchologium* di cui ancora si serve la Chiesa dei copti, come membro della Chiesa greca, tanto che deve dirsi rito, e non semplice uso di quella Chiesa. È notissimo che la S. Sede in varie circostanze si è dichiarata di permettere ed approvare tutti i riti e consuetudini della Chiesa greca *quae animae periculum non parerent, nec honestati Ecclesiae derogarent;* anzi ha sempre voluto che se ne mantenesse l'osservanza

col comandare ed imporre a tutti i greci orientali ed occidentali di osservarne l'uso e la pratica come si può vedere nell'Epistola prima di Papa Leone IX *ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, et Leonem Archidiaconum;* e così successivamente da Alessandro IV, da Innocenzo IV, e da tutti i successori Sommi Pontefici, inerendo al canone del Concilio generale Lateranense (al Can. cap. 4 riferito in cap. *Licet, de Baptismo*) adunato da Innocenzo III, de' quali tutti si possono vedere li scritti e costituzioni stampate da Leone Allazio nel suo opuscolo *De interstitiis, et aetate Ordinandorum,* dove se ne vede la raccolta più piena ed esatta. Anzi Innocenzo IV nella sua Costituzione « Apostolicae » trasmessa al Legato di Cipro per dar rimedio ad alcuni abusi, non volle però derogare alli riti e consuetudini della Chiesa greca, benchè, massime nell'occasione del battesimo dei bambini, occorresse qualche disordine... Anche Clemente VIII fece rispondere all'Arcivescovo di Monreale in Sicilia, per gli italo-greci di quel Regno, colle seguenti parole riportate dal Card. Albizi, fol. 310, in risposta al sesto quesito: « *Ad sextum.* È bene istruire i greci che farebbero meglio se non dessero la S. Comunione a' fanciulli che non hanno l'uso di ragione: ma, se non si acquietano, si può tollerare il rito loro, massime che il Concilio di Trento... non riprova l'uso degli antichi, ma insegna non esser necessario ». Da tutto ciò può comprendere il P. Remigio da Trento non esser intenzione della S. Sede di togliere, o molestare i greci nei loro riti, ma solo istruirli, quando occorre, perchè siano esercitati colla dovuta decenza e riverenza, e con quelle cautele che sono proprie per prevenire qualunque inconveniente o disordine... ».

Nostris etiam diebus penes Orientalem Ecclesiam mos aliquibus in locis viget infantibus sub specie vini statim post baptismum [1] Eucharistiam praebendi.

[1] Cfr. Gasparri, l. c.

5. Quaestiones.

Quaest. I. *Si infans ritus latini panem eucharisticum sumat, accipitne gratiae augmentum?*

R. Quidam theologi saeculis elapsis docuerunt prohibitionem ab Ecclesia Latina inductam infantibus Eucharistiam ministrandi, impedire quominus ipsi effectum spiritualem sacramenti recipiant. Absurdum redolet haec assertio. Siquidem compertissimum est, sacramenta *ex opere operato* effectum producere; iamvero Eucharistia est sacramentum; igitur infans sacram Communionem recipiens augmentum gratiae procul dubio nanciscitur.

Quaest. II. *Si idem infans, de quo in praecedenti quaestione, non de manu presbyteri Eucharistiam recipiat, sed casu hostiam consecratam inveniat eamque ex gula aut levitate puerili sumat, obtinetne augmentum gratiae?*

R. Affirmative. Sacramenta enim effectum *ex opere operato* pariunt, quoties obex non ponatur. Iamvero in casu nostro nullus habetur obex.

Infans siquidem caret originali labe, cum baptismatis aqua ablutus fuerit; caret etiam actuali culpa, eo ipso quod propter rationis defectum doli nondum est capax.

Quaest. III. *Nonne aliqua intentio in sacramentis suscipiendis requiritur? Quomodo vero haec intentio in infantibus adest?*

R. Angelicus optime affirmat parvulos « dici posse intendentes, non per actum propriae intentionis, cum ipsi quandoque contra nitantur et plorent, sed per actum eorum quibus offeruntur »[1]. Et clariss. Suarez[2] merito scribit: « Nihil est parvulo necessarium ex parte sua, ut sit capax, quia illi sufficit voluntas et intentio Christi, per quem regeneratur ». Quibus ex

[1] III, quaest. 68, art. 9 ad 1.
[2] Op. cit., disp. 28, sect. 3.

verbis manifesto colligitur pro Eucharistia sumenda requiri quidem consensum seu intentionem ex parte recipientis, si ipse capax sit; sin vero, Christus idem supplet, nimirum Ecclesia, ut docent communiter Doctores. Quod autem de Eucharistia diximus, nullum dubium quin dicendum quoque sit de aliis sacramentis.

Quaest. IV. *Si presbyter sacram Communionem infanti praebeat, peccatne?*

R. Cum in Ecclesia Latina ex consuetudine prohibitum sit quominus Eucharistiam parvuli sumant ante adeptum rationis usum, procul dubio sacerdos infanti Communionem praebens gravis sacrilegii reatum patrat. Ita theologi uno labio affirmant. Et merito; nam consuetudo praedicta vim legis iam nacta est.

Quaest. V. *Si infans infidelis Eucharistiam recipiat, quemnam effectum ex sacramento assequitur?*

R. Nullum spiritualem effectum obtinet infans ex recepta Eucharistia. Ipse enim eam nonnisi *materialiter* sumit ut perbelle, more suo, docet Angelicus [1]. Sumptio siquidem Eucharistiae dividitur in spiritualem tantum, sacramentalem tantum, spiritualem simul et sacramentalem, nec non in materialem [2]. Spiritualis tantum illa nuncupatur quae fit per solum desiderium sumendi; sacramentalis tantum ea dicitur, qua re ipsa sacramentum accipitur, at sine fructu propter obicem; sacramentalis simul et spiritualis est illa, qua sacramentum cum fructu accipitur; materialis habetur cum Eucharistia non sumitur ex intentione accipiendi sacramentum; qua de causa in ordine ad recipientem significationem sacramentalem minime habet, ac nullum effectum proinde parit. Si igitur infans infidelis sacram Communionem reciperet, sumptio *materialis* tantum foret; quamobrem effectum spiritualem ex ea nullimode assequeretur.

[1] III, quaest. 80, art. 3.
[2] Cfr. Concilium Trid., Sess. XIII, cap. 8; Sess. XXII, cap. 6.

Quaest. VI. *Si adultus fidelis ex ignorantia hostiam consecratam in statu gratiae sumat, ut panem communem, effectum spiritualem percipitne?*

R. Minime. Sumptio enim est *materialis* tantum. Licet agatur de adulto *fideli* qui in statu gratiae versetur, nihilominus sumptio significationem sacramentalem non habet eo ipso quod Eucharistia non sumitur ex intentione accipiendi sacramentum. Neminem latet in adultis, in iis nimirum qui capaces sunt, semper requiri pro sacramentis suscipiendis intentionem, quae in casu nostro omnino deest [1].

ART. III.

De aetate qua pueri ad Sacram Communionem admittendi sunt

Summarium. — 1. *Veteres theologi.* — 2. *Theologi recentiores.* — 3. *Ecclesiae doctrina.*

1. Veteres theologi.

Concilium Lateranense IV, can. XXI, declaravit omnes teneri in paschate Eucharistiam sumere, postquam *ad annos discretionis* pervenerint. Theologi in determinanda discretionis aetate non conveniunt; disputant nimirum quo tempore praecepto Eucharistiae primum sumendi pueri adstringantur.

a) De Lugo ita varias opiniones exponit: « Aliqui volunt per annos discretionis in praesenti annos pubertatis: quam sententiam refert et non impugnat Viguerius, c. 16, § 3, v. 20 sed ab aliis merito reiicitur; quia procul dubio multi pueri ante 14^{um},

[1] Cfr. De Lugo, l. c., sect. I; S. Thom., l. c.

imo 12^{um} annum possunt, et debent communicare; habentque discretionem plusquam sufficientem. Alii dicunt incipere obligationem anno 12° quia ante illud tempus pueri non obligantur Ecclesiae praeceptis. Ita Soto in 4, dist. 9, art. 11, cuius sententiam impugnant Suarez, disp. 70, sect. 9; Vasquez, disp. 214, c. 4, et alii communiter: quia certum est pueros ante annum 12^{um} obligari ad audiendam Missam, et abstinendum a carnibus; quae sunt praecepta ecclesiastica. Alii dicunt obligari anno decimo. Ita videtur sentire Cajetanus, in praesenti art. 9, ubi dicit, non excusari parentes qui puellas decem annorum non exponunt ad Communionem. Alii denique communiter dicunt, non posse regulam certam praescribi: aliquibus enim citius, aliis tardius advenit usus rationis, et discretio quae tamen maior videtur desiderari ad hoc sacramentum, quam ad confessionem: haec enim cum sit magis necessaria, fieri debet, ubi primum aliquis scit peccare. Ad Eucharistiam vero desideratur discretio qua sciat puer discernere hunc cibum ab aliis, et revereri latentem in eo maiestatem: quae discretio communiter solet advenire a decimo usque ad decimumquartum annum » [1].

Dein idem De Lugo mentem suam candide pandit: « Fateor itaque pueros non obligari divino praecepto, nisi sciant distinguere Eucharistiam ab aliis cibis; assero tamen id fere evenire quando habent usum rationis ad peccandum, vel paulo post; atque ideo tunc iam incipere obligari divino praecepto; determinate quidem pro mortis articulo; pro alio autem tempore iuxta determinationem Ecclesiae, quae in illa aetate non determinat omnino illis annuam Communionem, sed cum maiori latitudine iuxta consilium confessarii. Unde infero tempus obligationis non incipere pueris in indivisibili, sed potius esse multos quibus licite potest et hoc anno v. g. dari Communio, eo quod iam habeant in toto rigore capacitatem sufficientem

[1] *De Euch.*, disp. XIII, sect. IV, n. 33.

ad discernendum hoc sacramentum ab aliis cibis et tamen licite etiam potest illis differri Communio arbitrio confessarii ad annum sequentem, ut melius et cum maiori reverentia se praeparent. Noluit enim Ecclesia pia mater, nec revera expediebat ita stricte cum illis agere, ut ubi primum possent, deberent ex praecepto statim Eucharistiam sumere ».

b) Ferraris [1] docet: « Tempus huius obligationis, cum non possit generatim determinari, est singulariter determinandum prudenti iudicio, ita tamen ut sacra Communio non nimium differatur ».

c) S. Thomas [2] declarat: « Quando iam pueri incipiunt *aliqualem* usum rationis habere ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri ». Idem Angelicus alibi ita mentem suam perbelle exponit: « Dicendum quod pueris carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem et corporalem non debet Eucharistia dari... Pueris autem iam incipientibus habere discretionem etiam ante perfectam aetatem... potest dari, si in eis signa discretionis appareant et devotionis » [3].

d) Sotus [4] scribit: « Quae autem sit legitima aetas in qua possint parvuli sacramentum hoc suscipere, nulla est certior regula, quam dum iudicio prudentum et maxime confessarii apparet puer bivium litterae pythagorice attigisse, ut scilicet discernere possit inter bonum et malum, atque adeo inter hunc cibum et alios saeculares ».

e) Ledesma [5] asserit: « Dico ex omnium consensu quod omnibus habentibus usum rationis est danda Eucharistia quamtumcumque cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid faciat ».

[1] Op. cit., v. *Eucharistia*, n. 8.
[2] *Summa Theol.*, III, q. 80, a. 9 ad 3.
[3] In IV Sent., dist. 9, 2, 1, a. 5, q. 4.
[4] In 4, dist. 12, a. 9.
[5] In S. Th., g. 80, a. 9, d. 6.

f) Vasquez [1] docet: « Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, statim ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit omnino liberare ».

g) S. Antoninus [2] affirmat: « Cum est doli capax (puer), cum scilicet potest peccare mortaliter, tunc obligatur ad praeceptum de Confessione et per consequens de Communione ».

h) S. Alphonsus [3] scribit: « Ratio quia communis usus Ecclesiae sic interpretata est obligationem huius praecepti, tum ut pueri cum maiori reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant; tum ne ipsi facile exponantur periculo transgressionis... Hinc communiter dicunt doctores regulariter loquendo, pueros non obligari ad Communionem ante nonum vel decimum annum: nec differendam eis Communionem ultra duodecimum... vel saltem ultra decimumquartum ».

l) Henriquez [4] asserit semel in anno esse admittendos ad Communionem pueros « qui sufficientem habent discretionem, ut coelestem cibum ab aliis distinguant ».

m) Sanchez [5] increpat citatum auctorem, inquiens: « ... Nec scio qua ratione censeat Henriquez, frequentiam Communionis esse fatuis (eadem ratio occurrit etiam quoad pueros) negandam, si semel concedat in paschate dari debere: si enim quando semel communicant, nullam committunt irreverentiam, nec committent pluries communicando, cum tam homo communicans suscipiens quam sacramentum susceptum semper unum et idem sit... ».

n) Suarez [6] docet: « Addit vero Soto et mihi probatur non statim ac hi pueri perveniunt ad aetatem, in qua possunt licite communicare, ad id obligari, sed post aliquod tempus, v. g. post unum vel alterum annum... ».

[1] Disp. 214, c. 4, n. 43.
[2] P. III, tit. 14, c. 2, § 5.
[3] VI, n. 301.
[4] *Summ.*, lib. 8, c. 42, n. 3.
[5] *Disp. select.*, 26, n. 5.
[6] *Disp.*, 70, sect. 1.

o) Valentia [1] docet: « Tempus... quo ad Eucharistiam admitti possunt pueri, illud est, cum eiusdem pollere incipiunt rationis usu, ut possint satis discernere hunc coelestem cibum a ceteris ». Alibi porro addit: «... Ante annum duodecimum non obligare id Ecclesiae praeceptum... Etsi enim ante quoque contingat aliquibus habere eam discretionem rationis, ut possit quidem eis dari Eucharistia... non tamen ante illud tempus aetatis habent eam discretionem, ut etiam teneantur recipere Eucharistiam » [2].

p) Benedict. XIV [3] scribit: « Plerique doctores non improbabiliter docent, omnes pueros, statim ac sunt doli capaces, sicuti adstringuntur sacramentalis confessionis praecepto, ita obligari ad Communionem in Paschate, ut decernitur in cit. cap. *Omnis utriusque sexus*... Allegata enim decretalis Innocentii III utrumque praeceptum coniungit et absque ullo inter unum et alterum discrimine utrumque onus imponit omnibus utriusque sexus fidelibus postquam ad annos discretionis pervenerint ».

2. Theologi recentiores.

a) D'Annibale [4]: « Subiectum sunt omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, idest eius aetatis, qua hunc panem coelestem a terreno distinguere norint, et latentem in eo maiestatem revereri: ideoque verius, etiam vix infante maiores ».

b) Lehmkuhl [5] docet: « Anni autem discretionis paulo latius sumuntur relate ad SS. Sacramentum, si excipias mortis peri-

[1] T. 4, disp. 6, q. 8, punct. 2.
[2] L. c., punct. 4.
[3] Op. cit., lib. VII, c. 12, n. 2.
[4] III, n. 396.
[5] Part. II, lib. I, tr. IV, a. 111.

culum, ita ut aliquot etiam annorum intervallum ex iudicio parochi concedi liceat, antequam gravis obligatio Sacrae Eucharistiae primum suscipiendae statuatur ».

c) Genicot [1] docet: « Usus rationis hodie requisitus ad Eucharistiam recipiendam, non debet esse perfectus, sed sufficiens ad discernendum inter cibum spiritualem et corporalem. Potest igitur dari Communio iis in quibus appareant signa discretionis et devotionis ».

d) Ballerini-Palmieri [2] scribit: « Ex iis quae communiter traduntur de aetatis ac porro discretionis in pueris sufficientia tum ad contrahendas sive voti sive sponsalium obligationes, tum ad peccandum graviter et Poenitentiae sacramentum recipiendum, a fortiori argui potest quoad sumendae Eucharistiae capacitatem. Quis enim non videt, ad habendum illum *aliquem* (ut ait S. Thomas) devotionis sensum, qui ad digne sumendam Eucharistiam unice requiritur, multo minorem discretionem sufficere, quam ad aut concipiendos affectus sacramento Poenitentiae valide recipiendo necessarios, aut ad vim percipiendam gravis obligationis in votis ac sponsalibus requiratur? ».

e) Gury-Ferreres [3] docet: « Nota tamen in pueris saepe innocentiam compensare minorem scientiam, unde optandum est ut post adeptum usum rationis non multum differatur ipsis prima Communio, ita ut pueri huic sacrae mensae accedant antequam actuale peccatum animas eorum deturpet ».

f) Gasparri docet: « Ante usum rationis... nemo tenetur; post usum rationis omnes tenentur, dummodo... huius sacramenti cognitionem et gustum habeant. Hanc autem conditionem plerumque non statim verificari ab usu rationis seu a septennio completo, facile patet; et qua aetate verificetur, nequit regula generali determinari, cum id pendeat tum a vi in-

[1] I, n. 190.
[2] Tr. X, c. IV, n. 197.
[3] II, n. 320.

telligentiae et iudicii maturitate parvulorum, tum a cura quae in ipsis erudiendis impenditur; sed conditio pro Communione paulo tardius verificatur, cum hoc Sacramentum excellentius sit et sensus magis effugiat. Ergo, etsi praeceptum per se urgeat a septennio completo seu ab usu rationis, tamen ob deficientiam conditionis parvuli statim admitti plerumque nec possunt, nec debent: qua aetate admitti possint ac debeant, pendet a verificatione conditionis et ideo in genere paulo tardius ad Communionem, quam ad Confessionem... » [1].

g) Bucceroni [2] affirmat: « Sane recepta consuetudo ita est interpretata praeceptum hoc, ut eo pueri non adstringantur, antequam perfectiorem habeant usum rationis, ut maiori cum reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant ».

h) Oietti [3] perbelle affirmat: « Pueri ex Conc. Lat. tenentur ad Communionem paschalem, quando ad annos discretionis pervenerint. Quare qui autumant etiam sub specie zeli expectandam esse in pueris provectiorem aetatem, ut ad Communionem admittantur *decipiuntur specie recti*, et contradicunt aperto praecepto et certae menti Ecclesiae ».

l) Alii theologi, v. g. Scavini [4], F. Haine [5], Elbel [6], Costantini [7] obiter tantum loquuntur de praecepto eucharistico quoad pueros.

3. **Ecclesiae doctrina.**

Concilium Lateranense IV, anno 1215, can. XXI statuit: « Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis

[1] L. c., n. 1167.
[2] II, IV, n. 71.
[3] Op. cit., v. *Communio paschalis.*
[4] III, tr. IX, disp. IV, part. I, c. III, n. 129.
[5] II, p. 54.
[6] III, conf. XIV.
[7] III, p. 40.

pervenerit omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ». Concilium Trid. [1] definivit: « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, a. sit ». Catechismus Romanus [2] docet: « Qua aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant ».

Concilium Romanum sub Benedicto XIII habitum declarat obligationem Eucharistiae sumendae incipere « postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, ad illam videlicet aetatem in qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum, qui alius non est quam verum Iesu Christi corpus, a pane communi et profano, et sciunt accedere cum debita pietate ac religione » [3]. Quibus ex documentis luculentissime patet, Ecclesiam semper docuisse *pueros statim post adeptum rationis usum teneri Eucharistiam sumere*, et nonnisi theologos quosdam falso interpretatos esse eiusdem mentem.

---

[1] Sess. XIII, c. 8, can. 9.
[2] Part. II, *De Sacr. Euch.*, n. 63.
[3] App. XXX, P. 11.

CAPUT II.

COMMENTARIUM

ART. I.

De aetate discretionis

« *Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis* ».

Duo clare atque distincte a decreto indicantur : *a*) quaenam sit aetas discretionis sive quoad Confessionem sive quoad Communionem ; *b*) quando obligatio incipiat quoad utrumque sacramentum.

a) Aetas *discretionis* habetur cum puer incipit ratiocinari, seu ut perbelle docet Angelicus « quando pueri incipiunt *aliqualem* usum rationis habere ». Qua de causa necesse minime est ut pueri plene atque perfecte ratiocinari valeant, ut immerito nonnulli theologi docuerunt saeculis elapsis ac nostris quoque temporibus ; sufficit ut *incipiant* ratione uti. Practice autem id multiplici modo dignoscitur, v. g. si pueri parentes ac fratres vel propinquos agnoscant, si res diversas distinguere valeant, si verbis exprimant mentis cogitationes aut cordis affectus, si malitiam quandam in actibus externis pandant, si post culpam patratam erubescant, animadvertentes se male egisse, etc.

b) Haud facile minime est taxative determinare quae sit aetas qua pueri de facto *ratiocinari incipiant*. Criterium unicum

assignari nequit, cum varia sint perpendenda locorum, personarum ac temporum adiuncta. Compertissimum enim est quosdam pueros usum rationis habere vix quinque aut sex annos natos; quosdam decem vel duodecim annos natos; quosdam peculiari de causa tardiores quoque esse. S. Thomas [1] scribit: « Pueris carentibus usu rationis qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem et corporalem, non debet Eucharistia dari... Pueris autem *jam incipientibus habere discretionem,* etiam ante perfectam aetatem, puta cum sint *decem vel undecim annorum, aut circa hoc,* potest dari si eis signa discretionis appareant et devotionis ». Temporibus nostris criteria, saltem *de regula generali,* ab Angelico exhibita pro pueris ad sacram Synaxim admittendis, nimirum *distinctio inter cibum spiritualem et corporalem, initium discretionis, signa devotionis*, procul dubio habentur ante aetatem decem vel undecim annorum.

Quamvis criterium certum et unicum assignari nequeat, nihilominus regula generalis est haec practice servanda: pueri *septem* annos nati capaces per se censentur Communionis. Consulto diximus *per se;* nam in quibusdam pueris mens celerius evolvitur, in aliis tardius; quapropter etiam ante aetatem septem annorum possunt admitti ad sacram synaxim, si discretionis signa exhibeant. Hac de causa Decretum sapientissime dicit: « *circa septimum annum, sive supra sive etiam infra* ».

c) Statim post aetatem discretionis pueri non modo sancta de altari libare licite possunt, sed omnino *tenentur.* Ab aetate enim discretionis pueri ligantur vi praecepti divini et ecclesiastici. Vi praecepti *divini,* quatenus ipse Christus disertis verbis declaravit: « Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis » [2]; vi praecepti *ecclesiastici*, quatenus Ecclesia

[1] In 4 Sent., Dist. 9, q. 1, art. 5, sol. 4.
[2] Ioan., VI, 54.

tum in Concilio Lateranensi IV, tum in Concilio Tridentino de hac obligatione, quae pueris post discretionis aetatem incumbit, explicite loquitur, ut vidimus superius.

d) Obligatio pueris incumbens statim post discretionis annos Eucharistiam sumendi tam stricta ac rigorosa est, ut Ecclesia nullo modo valeat dispensare. Ratio porro luculentissime patet. Agitur enim de praecepto divino; iamvero omnibus satis compertum est, auctoritatem ecclesiasticam quoad legem divinam *veram* dispensationem concedere minime posse, tantummodo ipsa quibusdam in adiunctis declarare valet divinum praeceptum obligationem non inducere ob peculiares causas.

e) Haec obligatio de Eucharistia sumenda, qua pueri ligantur ubi primum discretionis aetatem attigerint, est *gravis;* nisi proinde ignorantia invincibilis excuset, culpam lethalem procul dubio committunt, si sacram Communionem differant.

f) Obligatio autem incumbit etiam parochis, parentibus, aliisque omnibus qui curam puerorum gerunt, ita ut ipsi quoque graviter peccent, si, nulla interveniente iusta causa, Communionem differant.

Quaest. I. *In dubio an pueri pervenerint vel minus ad aetatem discretionis, suntne ad sacram Synaxim admittendi?*

R. De Lugo negat: «Ego quidem in hoc puncto imprimis existimo non esse obligationem dandi Eucharistiam eiusmodi puero, stante illo dubio; et hoc propter rationem superius indicatam, quia sc. quamdiu non constat aliquem lege comprehensum esse, non obligatur in illo dubio ad observandam legem; cum ergo dubitetur de capacitate pueri, et per consequens an comprehendatur praecepto divino, quod solum fertur ad doli capaces, ut constat ex Tridentino, consequens est ut non sit obligatio ex vi praecepti divini dandi Eucharistiam in illo dubio» [1]. Nos contrariam profitemur sententiam; si ageretur

[1] L. c., n. 43.

enim de obligatione a iure ecclesiastico tantum imposita, ratiocinatio clariss. De Lugo valeret; sed agitur de obligatione iuris etiam divini; qua de causa pars tutior est sequenda.

Quaest. II. *Amentes suntne ad sacram Communionem admittendi?*

R. *a*) Perpetuo amentes aequiparantur infantibus; quapropter iuxta ea quae alibi diximus, ipsi sunt iure ecclesiastico incapaces, non autem iure divino. Qua de causa Rituale Romanum dicit: «amentibus seu phreneticis communicare non licet».

b) Quoad mentecaptos a nativitate, insanientes circa unam vel aliam rem tantum, ita oportet distinguere: vel dementia respicit praecise Eucharistiam, ita ut huius sacramenti cognitionem et gustum minime habeant, vel dementia aliam rem respicit. In primo casu repetendum est quod modo exposuimus de perpetuo amentibus; in secundo casu, duplex habetur theologorum sententia. Nobis, si quid opinari pro nostra ingenii exiguitate liceat, affirmativa sententia amplectenda videtur, nimirum mentecaptos sensu exposito capaces Communionis dicimus.

c) Quoad fatuos, stupidos aut idiotas, item distinguimus: vel *aliqualem,* ut docet perbelle Angelicus, rationis usum habent, vel non; si primum sunt procul dubio capaces, secus non.

d) Surdis et mutis simul a nativitate applicanda eadem regula; si aliqua nimirum institutione imbuantur, nullum dubium quin capaces fieri possint; surdi tantum, vel muti tantum, aut coeci tantum, usum rationis satis evolutum habent, quamvis tardius ad aetatem discretionis perveniant, ideoque capaces sunt. Doctiss. Gasparri[1] docet incapaces sacrae Communionis eos esse qui surdi-muti-caeci simul a nativitate sint, *licet instituti.* Haec verba ita absolute prolata nobis minime arrident.

[1] L. c., n. 1123.

Et sane si vi obtentae institutionis sibimet valeant cognitionem aliquam efformare de Eucharistia, cur incapaces omnino sunt dicendi?

Quaest. III. *An sacra synaxi refici possit qui post adeptum rationis usum in amentiam inciderit?*

R. *a*) Rituale Romanum in genere docet: « Amentibus et phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit ».

b) Amens circa unam aliamve rem tantum, extra Eucharistiae materiam, capax est; amens circa omnia aut circa Eucharistiae materiam, si habeat lucida intervalla, ad sacram Communionem est admittendus.

c) Num admittendus etiam extra lucidum intervallum? Gasparri ita loquitur: « Si ante amentiam intentionem recipiendi Eucharistiam nec implicite habuit, vel habuit sed revocavit, omnes admittunt sacram Communionem ipso divino iure praebendam non esse, quia illa intentio est in adultis necessaria. Si hanc intentionem saltem implicite habuit et non revocavit, ita ut haec intentio habitualiter nunc existat cum probabili statu gratiae, e. g. si amens ante amentiam pie et religiose vixerat, si sacramentalem Confessionem peregerat, aut saltem confessarium petierat, etc., attento iure divino, sacra Communio per se praeberi posset, cessante omni irreverentiae periculo: quaestio est num Ecclesia id prohibuerit, sicut prohibuit pro infantibus. Iamvero certe Ecclesia id prohibuit extra mortis periculum, ut patet ex verbis relatis *Ritualis* et omnes admittunt. Proinde Ecclesia amentem in casu declaravit sacrae Communionis incapacem iure ecclesiastico extra mortis periculum, ita ut si sacra Communio praeberetur, minister graviter peccaret, licet amens gratiae augmentum per se reciperet. In mortis periculo auctores passim cum D. Thoma, 3 p., q. 80; a. 9, docent posse et debere amenti in casu sacram Communio-

nem praeberi, dummodo... nullum adsit irreverentiae periculum et amens ante amentiam pie religioseque vixerit aut confessionem sacramentalem peregerit, etc. E contrario regula *Ritualis* videtur absoluta, non distinguens inter Communionem simplicem et viaticum »[1]. Quidquid fuerit olim de regula a Rituali Romano statuta, post decretum « Quam singulari », nobis videtur esse tenenda sententia divi Thomae et aliorum theologorum.

Petrus vix quinque annos natus iam in scholis, ut aiunt, elementaribus litteras magno cum fructu ediscere coepit, ita ut eiusdem magistri admirationem excitaverit; Linus semifatuus apparet, at cognitionem aliquam habet de Eucharistia. Uterque admittatur ad sacram Synaxim.

ART. II.

De cognitione doctrinae christianae non necessaria ut pueri ad sacram Synaxim admittantur

Decretum ita clare docet: « *Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere* ».

1° Eadem cognitio quae requiritur ac sufficit pro pueris ad Confessionem admittendis, requiritur ac sufficit etiam pro ipsis ad sacram Synaxim advocandis. Quod sedulo animadvertere praestat; nam theologi plures docuerunt alias mentis ac animi dispositiones requiri pro Confessione, et alias pro Communione; practice autem — heu nimis! — plurimos nacta est sectatores praedicta sententia falsa omnino.

[1] L. c., n. 1124.

2° Ut parvuli sancta de altari primum libent, minime requiritur plena atque perfecta cognitio doctrinae christianae. Ratio porro manifesto patet. Ex iis quae superius diximus indubie constat pueros praecepto divino et ecclesiastico ligari quoad Eucharistiam ubi primum annos discretionis attigerint. Iamvero absonum foret exigere ut ipsi statim post adeptum rationis usum, plena ac perfecta christianae doctrinae cognitione pollerent. Ea tantum cognitio sufficit quae aetati congrua videtur.

3° Progressu temporis autem pueri catechesim ediscant, atque ita unusquisque pro sui ingenii perspicuitate alias et alias sibi comparet gradatim notiones de rebus divinis.

4° Quapropter pueri semel ac admissi fuerint ad sacram Synaxim minime sufficienter instructi censeri debent, ita ut catechesim negligere possint; sed e contrario post primam Communionem prosequi tenentur incoeptum religionis christianae studium eo meliori quo fieri possit modo.

ART. III.

De necessaria doctrinae christianae cognitione ut pueri ad primam Communionem admittantur

En disertis verbis doctrina decreti: « *Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat* ».

1° Duo requiruntur ut puer Eucharistiam sumere valeat: *a*) requiritur quod ipse agnoscat Fidei mysteria necessaria ne-

cessitate medii; *b*) quod Panem eucharisticum distinguere sciat a pane communi.

2° Quaenam porro sint mysteria necessaria necessitate medii, satis superque constat ex theologia.

3° Necesse minime est ut praedicta mysteria puer cognoscat perfecte, sufficit si imperfecte tantum agnoscat, eo meliori nimirum quo valeat modo, tum ingenio tum aetate inspectis.

4° Oportet insuper ut puer distinguere valeat panem eucharisticum a pane communi, seu oportet ut ipse sciat sub speciebus pani et vini contineri corpus, sanguinem, animam ac divinitatem D. N. Jesu Christi, ita ut accedentes ad sacram Synaxim non manducent panem ordinarium, sed ipsum Christum sumant.

5° Devotio autem qua pueri ad Communionem accedere tenentur, sufficit ut ea sit quae aetati ac indoli plane respondeat. Quapropter necesse non est, ut gravitate praestent atque mirandam praeseferant reverentiam, prouti immerito quidam docuerunt ac docent; Christus, qui tanto amore parvulos prosequitur, interius cor intuetur ac animi nitorem potius inspicit quam exterioris reverentiae actus, excusans profecto defectus pueriles, non ex malitia, sed ex debilitate profluentes.

ART. IV.

De iure et officio admittendi pueros ad sacram Synaxim

« *Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt,*

et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem ».

1° Puer gravi ligatur obligatione Eucharistiam sumendi, ubi primum ad aetatem discretionis pervenerit; quae autem obligatio, ut manifesto patet, refunditur in personas quae eiusdem curam gerunt, nimirum in *parentes, institutores, confessarium* et *parochum.*

2° Obligatio primitus incumbit parentibus qui liberis suppeditare tenentur rectam mentis institutionem ac voluntatis debitam educationem; quod parentum officium eo potissimum tendere debet ut filii praeceptis divinis atque ecclesiasticis rite satisfaciant; iamvero inter praecepta divina et ecclesiastica illud quoque recensetur ut pueri statim post adeptum rationis usum Eucharistiam sumant; igitur parentes vi ipsius naturalis officii curare tenentur ut liberi tempore debito sancta de altari libent.

3° Praedicta obligatio incumbit etiam institutoribus puerorum, iis omnibus nimirum qui curam eorumdem gerunt: quo nomine veniunt magistri, domini, superiores, etc. Paterfamilias siquidem iure et officio vincitur recte liberos instituendi. Cum vero personaliter nequeat multiplici de causa naturali huic iuri et officio consulere, alia persona id praestare tenetur; quae nonnisi delegatum seu adventitium ius acquirit et officium, utrumque nomine ac patris auctoritate exercendum. Quapropter sicut carnalis pater religiosis liberorum officiis consulere debet, ita institutor eadem adstringitur obligatione.

4° Confessariis ipsis pro viribus et data occasione curandum est, ut pueri qui ad tribunal poenitentiae accedant, si nondum sacram Communionem receperint, quam citius, imo statim ad eam admittantur. Obligatio enim Confessionis et Communionis uno eodemque tempore pueros ligat, ita ut si unum praestent actum, alium omittere nequeant. Qua de causa, confessarii quoties pueros audiunt nondum ad sacram Synaxim admissos, illos *statim* disponere tenentur, ut eo meliori quo fieri possit modo Eucha-

ristiam sumere valeant. Diximus consulto *statim*, ut intelligatur confessarium minime posse Communionem differre; nam sicuti ipse, si casus ferat, poenitentem disponere debet in ipso Confessionis actu ut rite recteque absolutionem recipiat, ita eundem poenitentem disponere tenetur in ordine ad sacram Communionem.

5° Obligatio tandem incumbit parocho, qui merito nuncupatur ac est veluti pater spiritualis. Summa diligentia ac sedulo studio ipse curare debet ut pueri, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, illico praecepto de Confessione et Communione peragenda consulant. Ad hunc finem pro viribus satagant pravas consuetudines, si quae sint in paroecia, penitus auferre, abusus corrigere, disciplinam ad mentem Ecclesiae naviter instaurare.

6° Ius porro ad sacram Synaxim pueros admittendi competit, inquit decretum, patri aut vices eiusdem gerenti, et confessario. Ita enim ipse Catechismus Romanus docet: « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant »[1].

At contraria consuetudo ubique fere locorum recepta fuit, quatenus ius pueros admittendi ad primam Communionem parochis tributum fuerit[2]. Imo Gasparri scribit[3]: « S. Congr. de Prop. Fide in litteris ad Archiepiscopum Smyrnensem datis die 6 Iunii 1839, hoc privativum parochorum ius recognoscit »; et citat *Collect.* n. 727. In Collectanea vero S. Congr. de Prop. Fide anni 1907 citatae litterae non inveniuntur.

[1] *De Euchar. Sacram.*, n. 663.

[2] Cfr. Gasparri, op. cit., n. 1171; Oietti, op. cit., p. 91; Sebastianelli, op. cit., vol. I, p. 304.

[3] L. c.

7° Ad parochum igitur privative minime pertinet pueros ad primam Communionem admittere; si agatur tamen de Communione generali solemni ius parocho competit, ut decretum ipsum declarat. Hoc autem disertis verbis docet clarissimus Wernz inter alios canonistas facile princeps: « Imo admissio quoque ad primam Communionem etiam in forma privata et extra tempus paschale certe ex iure communi non spectat *unice* ad parochum. At prima Communio in forma *solemni* ex legibus vel consuetudinibus provincialibus et dioecesanis in non paucis regionibus recensetur inter functiones exclusive in ecclesia parochiali peragendas »[1]. Cfr. tamen pag. 45, n. 6° et 7°.

ART. V.

De generali puerorum Communione

« *Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur* ».

1° Duplici modo, ut constat ex allatis verbis, fieri potest Communio: forma privata seu singulari et forma solemni seu generali; forma *privata* cum pueri sine ulla pompa exteriori a parentibus vel confessario vel a parocho ad sacram Synaxim admittuntur; forma *solemni* seu generali cum pueri, pompa exteriori adhibita, ad sacrum Eucharistiae convivium plures simul admittuntur. Ius quoad generalem Communionem parocho competit.

[1] Op. cit., t. II, part. II, n. 830.

2° Ad Communionem generalem parochus admittere debet non modo pueros qui primitus Eucharistiam sumunt, at illos etiam qui *privatim* divini epuli jam participes facti sunt.

3° Haec autem generalis Communio fieri debet pluries, vel saltem semel in anno, iuxta locorum ac personarum adiuncta, ita ut sine rationabili causa ab episcopo cognita et approbata citra culpam omitti nequeat.

4° Cum peculiari pompa ac extraordinaria solemnitate Communio generalis fieri debet, ut memoria tanti diei puerorum menti laeta semper arrideat labentibus annis ac uberrimos inde fructus ipsi percipiant.

5° Peculiari instructione ac praeparatione rite pueri disponi debent, ut generalem Communionem eo meliori quo fieri possit modo peragant, ut nimirum sancte ad divinum convivium accedant et ex eo gratiarum thesaurum copiose sibimet procurent perpetuo mansurum.

6° Parochus cogere nequit pueros ut ad ecclesiam parochialem accedant die Communionis generalis pro SSm̃a Eucharistia sumenda; id enixe commendandum est, at pueri primum admissi ad sacram Synaxim cogi nequeunt.

7° Parochus prohibere non potest quominus in aliis ecclesiis paroeciae suae, v. g. collegiorum seu institutorum, Communiones generales fiant pro pueris qui prima vice sancta de altari libent.

8° Neque parocho vetare licet quominus pueri sive prima vice sive alias in aliena paroecia sacram Communionem peragant, modo constet de sufficienti rationis usu ac de congrua religiosa institutione.

Haec omnia clara perspicuaque sunt ex verbis Decreti, quod nullam reapse in hac re limitationem statuit.

9° Praeceptum contra de paschali praecepto in pleno vigore remanet, ita ut sive pueri sive adulti omnino teneantur SSm̃am Eucharistiam in ecclesia parochiali accipere.

ART. VI.

Frequens Communio et catechismi studium

« *Puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant* ».

1° Duo monita gravissimi momenti decretum continet, quorum primum frequentem Communionem respicit, secundum vero assiduum catechismi studium. De utroque nonnulla animadvertere praestat.

2° Parentes, aliique quibus officium incumbit, curare cunctis viribus debent ut pueri post primam Communionem saepissime ad sacrum convivium accedant, et, si fieri possit, singulis etiam diebus.

Decretum celeberrimum S. Congr. Concilii diei 20 dec. 1905 de quotidiana Communione quoad praecipua capita referre quam maxime expedit.

« I. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad sacram Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

» II. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram Mensam accedit non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate co-

niungi, ac divino illo pharmaco, suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

» III. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos; quo sincero animo proposito fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

» VI. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, id circo curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

» V. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

» VI. Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco parochi, confessarii, et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (part. II, c. 63), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

» VII. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum « Quemadmodum » diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis

quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

» VIII. Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praecepitivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur, intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

» IX. Denique post promulgatum hoc decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant ».

Interrogata S. Congr. Concilii an quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderi debeat etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem, die 15 Sept. 1906 declaravit: « Sacrae Communionis frequentiam commendari, iuxta articulum primum decreti, etiam pueris, qui ad sacram mensam, iuxta normas in Catechismo Romano, cap. 4, n. 63, semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos adhortari, reprobata praxi contraria alicubi vigenti ».

3° Haec omnia prae oculis semper habeantur, ne pueri mensa divina ob pravam consuetudinem aut impios praeconceptus divina mensa priventur, seu antidoto, ut ait Concilium Trid. [1],

[1] Sess. XIII, cap. 2.

quo a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservantur. Nullius momenti autem sunt difficultates quae opponi solent: *a*) Pueri, aiunt, debita reverentia accedere nesciunt ad sacram Synaxim; *b*) sedulam praeparationem et congruam gratiarum actionem non peragunt; *c*) Confessionem praemittere semper non possunt; *d*) ignorantia mens obnubilatur, quae divino Sacramento manifesto repugnat; *e*) diudicare non valent utrum in statu gratiae versentur vel minus.

Quoad *a*) respondemus illam requiri et sufficere reverentiam quae aetati, conditioni, aliisque circumstantiis conveniat; ceterum innocentia, qua puerorum animi condecorantur, defectus levitatis, si qui sint, compensat. — Quoad *b*) dicimus eam requiri et sufficere praeparationem et gratiarum actionem, ut affirmat decretum S. Congr. Concilii diei 20 Dic. 1905 quae fiat « iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia »; quapropter quoad pueros ratio profecto haberi debet de eorumdem aetate, institutione, ingenii defectu, etc. — Quoad *c*) animadvertimus, Confessionem semper necessariam non esse, ut quis quotidie accedat ad sacram Synaxim; imo S. Congr. Rituum die 14 Febr. 1906 declaravit pro indulgentiis acquirendis exemptos esse ab obligatione hebdomadariae Confessionis eos qui quotidie vel fere quotidie Eucharistiam sumunt. Confessio necessaria tantum est, cum quis agnoscit se in statu gratiae minime versari. Quod sedulo animadvertere iuvat in casu nostro, cum agatur de pueris qui numquam vel fere numquam in culpam lethalem labuntur, ut merito supponendum est. — Quoad *d*) fatemur quidem puerorum mentem ignorantia obnubilari. Quid inde tamen? Scientiam plenam atque perfectam minime Christus exigit; cordis affectus enim ipse inspicit potius quam intellectus eruditionem; praeterea « ignorantiam in pueris compensat innocentia », ut merito asserit Paludanus [1]. — Quoad *e*) dicimus inepte adversa-

[1] Cfr. Gury-Ballerini, vol. II, n. 320, q. 5, nota *a*.

rios ratiocinari; tum quia pro Communione frequenti seu quotidiana minime requiritur ut quis quolibet in casu certo cognoscere valeat an culpa venialis sit vel potius lethalis, cum ne theologi quidem id semper agnoscant; tum quia pueri iudicium confessarii sequi tenentur, qui prae aliis conscientiam eorumdem intuetur atque pro sua prudentia optime diudicare valet utrum quotidiana aut frequens Communio sit ipsis consulenda vel minus.

4° Ii quibus cura puerorum incumbit gravi officio tenentur post primam Communionem religiosam ipsis suppeditare institutionem, relative saltem, plenam et perfectam, prout uniuscuiusque aetas et ingenium ferat. Sciant igitur institutionem qua parvuli exornati ad sacram Synaxim primum admittuntur, nonnisi rudimentalem esse, ita ut progressu temporis necessario evolvi debeat ac perfici; et si sufficiens censetur eo fine ut pueri primitus ad sacram Synaxim admittantur, certo non sufficit pro vita christiane agenda. Quapropter nullum dubium quin pueri, licet divina mensa recreati, doctrinam christianam seu catechismum perfecte ediscere teneantur, cum satis superque constet rectam agendi rationem ex ea plane oriri. Huic autem obligationi parentes aliique satisfacere possunt sive per se immediate, sive per alias personas scientia ac pietate praestantes. Semper tamen curare debent ut pueri catechesim frequentent quam parochus peragit. Qua in re opportune recolenda occurrunt quae sapientissime in Encycl. « Acerbo nimis » diei 15 April. 1905 Pius X statuit:

« Suprema nostra Auctoritate quae sequuntur, in dioecesibus universis observanda et exequenda constituimus districteque mandamus: I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis quae quisque credere agereque debet ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant. II. Iidem, statis anni temporibus,

pueros ac puellas ad sacramenta Poenitentiae et Confirmationis suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione. III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent. IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen *Congregatio Doctrinae christianae.* Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda, laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad lucrandas sacras indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt. V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia, patent, scholae religiosae fundentur, ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur. VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac pueri.

»... Haec Nos quidem ... auctoritate Apostolica constituimus et iubemus ».

Parocho naviter curandum ut singuli paroeciae suae pueri rite in christiana religione instituantur; si parentes ab officiis deficiant, eos vel per se vel per alios pro sua prudentia commoneat; si monitio impossibilis sit aut inutilis, suppleat ipse eo meliori quo fieri possit modo.

ART. VII.

De Confessione et absolutione puerorum

« *Consuetudo non admittendi ad Confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur* ».

1° Decretum solemniter reprobat consuetudinem pluribus in locis — heu nimis — receptam pueros, licet attigerint rationis usum, ad sacramentalem Confessionem non admittendi aut eos absolutione non donandi. Ratio porro manifesto patet. Ubi primum puer ad annos discretionis pervenerit, ius et officium habet spiritualem medicinam sumendi, si indigeat, pro peccati maculis abluendis; cum sacramenta pro omnibus sint instituta, minime autem pro quibusdam tantum hominibus. Qua de causa absurdum redolet differre Confessionem ad decem, vel duodecim annos aut ulterius quoque. Statim ac enim puer usum rationis acquirit, capax peccati fit; eo ipso proinde capax fit etiam Confessionis, ita ut citra culpam repelli nequeat ab hoc sacramento.

2° Consuetudo vero contraria pluribus in locis recepta habetne aliquam iuridicam vim? Minime. Siquidem vera consuetudo non est, at usus impius, pravus et absurdus, quippe qui iuri divino apertissime repugnat.

3° Cur pueris propria peccata confitentibus absolutio non conceditur? De hoc absono usu idem dicendum ac de praecedenti praxi. Omnes theologi enim uno labio docent poenitenti rite confesso ac disposito absolutionem *ex iustitia* a confessario dandam esse. Aliquando absolutio differri potest, sed nonnisi

rarissime; et quoties ex denegata vel dilata absolutione grave poenitentis damnum sequitur, absolutio conditionate danda est, si dubie dispositus sit [1]. Praeterea ad absolvendum non requiritur certitudo absoluta de dispositione poenitentis, sed moralis lata sufficit, seu prudens probabilitas; quapropter « si confessarius iudicaverit diligentiam in examine et dolorem omnino non defuisse, idest, si ei *positive* non innotescit vel illam defuisse vel hunc deesse, poenitentem absolvat ». Ita passim theologi. Iamvero si de pueris agatur, numquam aut fere numquam *certo* constat indispositos esse, nec aliunde absolutionis dilatio prodesse videtur; qua de causa *ex iustitia* et *statim* absolutio ipsis danda est. Nec obstat dicere ipsos in Confessione nonnisi dubiam materiam exponere, ita ut sacerdos anceps haereat utrum materia certa, gravis aut levis, habeatur pro licite et valide absolvendo. Non obstat, inquam; nam confessarius ex interrogationibus prudenter ac studiose peractis facile dignoscit an certa habeatur materia vel minus. Si vero post opportunas et prudentes interrogationes, dubium adhuc supersit quoad materiam, confessarius prae oculis has regulas semper habeat a S. Alphonso, qui merito censetur ac est omnium theologorum in re morali princeps, traditas:

a) Si pueri dubiam materiam exponunt quoad peccata mortalia, quoties dispositi sint, semper debent absolvi sub conditione, ne forte sine gratia sanctificante remaneant;

b) Si materia dubia respiciat culpas veniales, non autem mortales, debent absolvi sub conditione duplici in casu, nimirum quando agitur de praecepto paschali adimplendo et de mortis periculo;

c) In aliis casibus, saepe sunt absolvendi sub conditione « ne diu priventur gratia sacramentali », v. g. semel in mense [2].

[1] Cfr. S. Alph., VI, n. 460 ss.; Ballerini, P. V, tr. 10, s. 5, n. 26 ss.; Gury B., II, 237; Bucceroni, II, 163 ss.; D'Annibale, III, 326 ss.

[2] Cfr. S. Alph., VI, n. 432; eiusdem Auctoris, *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 6.

4° Dubio extante de materia circa peccata venialia, potestne confessarius permittere ut puer ad sacram Synaxim accedat, quin absolutionem receperit? Non modo potest, sed omnino *tenetur*.

5° Ordinariis locorum omni studio curandum est ut praedicta consuetudo penitus auferatur. Quem ad finem uti possunt, imo quandoque debent, *iuris remediis*, poenis ecclesiasticis nimirum, v. g. suspensione, aliave canonica sanctione.

ART. VIII.

De Communione per modum Viatici et de Extrema Unctione pueris ministranda nec non de eorumdem exequiis

« *Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant* ».

1° Triplex abusus hisce verbis proscribitur, nimirum: *a*) quod pueris in periculo mortis versantibus Viaticum non deferatur; *b*) quod iisdem sacramentum Extremae Unctionis non administretur; *c*) quod exequiae ritu parvulorum fiant.

2° Veteres ipsi theologi docuerunt Eucharistiam per modum Viatici dandam esse pueris in mortis periculo constitutis, etiamsi eam numquam antea sumpserint. Ita Suarez [1], De Lugo [2], Layman [3] aliique plures.

3° Pueros in extremo agone versantes Eucharistica Communione privare, gravissimum horrendumque crimen procul dubio est, cum gratia divina in illis teterrimis adiunctis tam

[1] Disp. 70, sect. I.
[2] Op. cit., disp. XIII, n. 34.
[3] *Theol. Mor.*, t. II, tr. 4, cap. 4, n. 3.

necessaria, nullam ob causam ipsi priventur; siquidem non modo ecclesiasticum, sed divinum quoque praeceptum Eucharistiam in articulo mortis suscipiendi omnino urget. Quapropter *graviter* parochus, parentes, institutores aliique, ad quos spectat, delinquunt, si non curent ut pueri post adeptum rationis usum in mortis periculo constituti sacra Synaxi reficiantur.

4° Quod attinet porro Extremam Unctionem, Rituale Romanum aperte declarat: « Debet hoc sacramentum infirmis praeberi, qui *cum ad usum rationis pervenerint,* tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur ». Neminem autem non modo latet ea quae in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus a Rituali praescribuntur, *servanda* esse, ut docet Pius V in Brevi eidem Rituali praemisso, ac prout communiter affirmant Doctores [1]; sed insuper in casu nostro neminem latet agi de praecepto quod ipsum divinum ius attingit, obligationem nimirum sacramentum Extremae Unctionis accipiendi in mortis periculo, ita ut quaelibet contraria praxis vel consuetudo irrita, impia et absurda omnino sit. Omnes theologi id unanimiter docent [2].

5° Relate autem ad exequias, Rituale ita clarissime loquitur: « Cum infans vel puer baptizatus defunctus fuerit *ante usum rationis,* induitur iuxta aetatem ».

Quibus ex verbis manifesto patet exequias ritu puerorum nonnisi pro iis, qui nondum ad rationis usum pervenerunt, faciendas esse, pro aliis contra ritu peculiari adultorum; criterium igitur est *usus rationis,* quod communiter de septennio quidem intelligitur, at sive ante sive postea contingere potest.

[1] Cfr. Baruffald. *Comment. in Rit.*, tit. II, n. 1; Cleric. *De Sacr. Bapt.*, dec. 24, n. 3; Gardellini, t. VIII, p. 131; Pignatelli, t. VIII, consult. 73, n. 42.

[2] Cfr. Bened. XIV, *De Synod. dioec.*, lib. VII, c. 20 ss.; lib. VIII, c. 5 ss.; Suarez, D. 4, S. 2, L. 713, 721, 732; S. Th., 4, D. 23, q. 2, a. 4.

6° Decretum districte mandat ut Ordinarii cunctis viribus triplicem praedictum abusum de medio tollant; contra vero delinquentes seu contumaces, poenales quoque sanctiones adhibeant, sc. ecclesiasticas censuras aliaque iuris remedia.

ART. IX.

De obligatione quae Ordinariis quoad hoc decretum incumbit

« *Singulis autem Ordinariis mandavit (Pius Papa X) ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis, tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre* ».

1° Tria a Summo Pontifice disertis verbis praecipiuntur: *a*) quod Ordinarii certiores de decreto parochos reddant aliosque presbyteros; *b*) quod singulis annis decretum populo lingua vernacula explicetur paschali tempore; *c*) quod iidem Ordinarii, in relatione de statu dioeceseon S. Sedi unoquoque quinquennio exhibenda, referant utrum in dioecesibus suis observentur vel minus quae sapientissime decretum servari iubet.

2° Ordinarii tenentur decretum parochis aliisque de clero significare; nam iidem gravi praecepto illud ad executionem demandare debent, absurdis praeconceptibus omnino relictis ac remota quacumque praxi vel consuetudine contraria.

3° Quia vero decretum directe ac immediate ipsos quoque pueros respicit eorumdem parentes, dominos, superiores aliosque curam ipsorum gerentes, consulto Pontifex mandavit ut singulis

annis tempore paschali, seu quando obligatio urget de Communione facienda, populo lingua vernacula explicetur.

4° Merito tandem statutum fuit ut episcopi in relatione S. Sedi danda singulis quinquenniis de dioecesis statu, declarent utrum fideliter ad executionem demandata sint vel minus quae in decreto praecipiuntur; merito, inquam, id statutum fuit; nam episcopus in predicta relatione de iis omnibus certiorem reddere tenetur Sedem Apostolicam quae bonum dioecesis respiciunt; iamvero executio decreti « Quam singulari » intime ac necessario cum bono dioecesis connectitur, cum ex eiusdem perfecta executione uberrimi fructus inde sint orituri [1].

5° Ordinarii *sub gravi* tenentur haec omnia fideliter exequi ac summa diligentia curare ut singula ad executionem quam citius demandentur, cum de vero praecepto agatur, non autem de simplici consilio, et quidem de praecepto gravi, ut ex ipsius materiae natura evidenter colligitur.

Faxit Deus ut quae sapientissime ac coelesti numine Pius X in hoc Decreto statuit, singula Ordinarii, parochi, parentes, pueri aliique, ad quos spectat, ea qua par est diligentia ac sollicitudine exequantur, ut bonum animarum inde magis magisque ad Dei gloriam augeatur.

ART. X.

Difficultates quoad practicam decreti executionem

Non desunt adversarii qui, ut in omnibus rebus semper accidit, nonnullas difficultates opponant quoad celeberrimum decretum; eas candide nos exponimus ac facile refellimus.

[1] Cfr. Cappello, op. cit., p. 156 ss.

Ob. I. Decretum « Quam singulari » novam doctrinam atque prorsus inauditam docet.

R. 1° Decretum minime docet novam doctrinam, cum disertis verbis expressa iam fuerit a Concilio Lateranensi IV ac repetita a Conc. Trid. Decretum nihil aliud facit quam authentice interpretari mentem utriusque Concilii.

2° Decretum declarat ac interpretatur ius divinum circa obligationem Eucharistiam sumendi, contrarias consuetudines reprobans omnino atque solemniter proscribens.

3° Tantum abest ut doctrina in decreto contenta nova dici queat, quin potius vetus asserenda sit ac quolibet tempore vigens penes Ecclesiam Orientalem. Recolantur profecto quae diximus de antiqua Ecclesiae Latinae disciplina ac de hodierna apud Orientales.

Ob. II. Consuetudo, ut passim docent doctores, vim legis habet; iamvero praxis non admittendi pueros ad sacram Communionem statim post adeptum rationis usum ubique fere locorum recepta est; igitur rationem habet legitimae consuetudinis, nimirum verae ac propriae legis.

R. 1° Consuetudo rationem legis non induit nisi legitimis conditionibus sit vestita, quarum prima est ut rationalis sit ac honesta: iamvero praxis non admittendi pueros ad sacram Synaxim statim post annos discretionis est *irrationalis,* quia manifesto repugnat iuri divino et naturali, ac *inhonesta* quia consequenter inducit pueros ad peccatum, seu ad transgressionem legis divinae.

2° Quamvis consuetudo, dato et non concesso, vim legis habeat, nihilominus a R. Pontifice semper potest iure meritoque revocari.

Ob. III. Doctissimi theologi contrariam sententiam professi sunt; iamvero repugnat viros scientia ac pietate praestantes in re tanti momenti errasse.

R. 1° Plurimi theologi, principes profecto in re sacramentaria, eamdem doctrinam professi sunt quae in decreto exponitur. Ita v. g. S. Thomas [1], Sotus [2], Vasquez [3], Ledesma [4], Bened. XIV [5].

2° Alii theologi concedunt pueros ad primam Communionem esse admittendos ubi primum ad usum rationis pervenerint, sed disputant quando censeri debeant aetatem discretionis de facto attigisse [6], qua de causa apparet quaestionem potius de verbis esse quam de re.

3° Licet plerique doctores contrariam amplexati essent sententiam, quid inde? Magisterium infallibile non est penes doctores *privatos*, sed tantum penes Ecclesiam catholicam, seu R. Pontificem qui supremam a Christo Domino potestatem accepit depositum revelationis rite custodiendi ac interpretandi, speciali ad hoc Spiritus Sancti adsistentia munitus, ne unquam in rebus fidei ac morum erret.

Ob. IV. R. Pontifex antea mentem suam aperire debebat circa obligationem admittendi pueros ad primam Communionem statim post adeptum rationis usum.

R. Ecclesia mentem suam clare atque perspicue declaravit in Concilio Lateranensi ac iterum in Concilio Trid., ac semper data occasione.

Nostris vero temporibus peculiare decretum necessarium visum fuit tum quia in dies prava consuetudo communior fiebat, tum quia ex hodiernis mutatis physiologicis conditionibus evolutio mentis citius procul dubio evenit quam elapsis temporibus.

[1] P. 3, q. 80, a. 9 ad 3; Dist. 9, 2, 1, a. 5, q. 4.
[2] In 4 Dist. 12, a. 9.
[3] In 3. S. Th., disp. 214, c. 4, n. 43.
[4] In S. Th., g. 80, a. 9, d. 6.
[5] Op. cit., lib. VII, c. 12, n. 2.
[6] Cfr. De Lugo, op. cit., disp. XIII, n. 11 ss.

Ob. V. Omnibus compertum est Eucharistiam summa reverentia suscipiendam esse; iamvero in pueris, qui vix attigerint discretionis annos, debita reverentia haberi nequit.

R. Id quod magis in suscipiendo Eucharistiae sacramento attendi debet non est cultus seu honor Deo praestandus, sed humana indigentia in ordine spirituali. Merito proinde decretum S. Congr. Concilii diei 20 Dec. 1905 docet: «Desiderium vero Jesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles per sacramentum Deo coniuncti robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas et ad graviora peccata quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum... Unde S. Trid. Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur*»[1].

Eo vel magis quod in pueris, ut perbelle docent theologi, innocentia compensat defectum reverentiae exterioris; nullum dubium autem quin Christus plus gaudeat de cordis puritate quam de actibus cultus exterioribus.

Ob. VI. Differenda videtur Communio ut pueri uberiores fructus ex ea percipiant.

R. 1° Fructus maior aut minor ex sacra Synaxi habetur iuxta maiora vel minora impedimenta, quae eidem obstant, cum Eucharistia ex opere operato effectum producat. Iamvero puer qui vix usum rationis est adeptus atque doli capax est factus, nulla aut fere nulla impedimenta affert in Eucharistia suscipienda; et proinde uberrimos fructus sine dubio recipit.

2° Sacramentum eucharisticum est spiritualis vitae alimentum peccatorum et vitiorum antidotum; atqui puer ubi pri-

[1] Sess. XIII, c. 2.

mum passionum vim persentit ac mundi insidias experitur, indiget antidoto tam efficaci, prout est Eucharistia; quapropter illum coelestis medicina et auxilio privare nonnisi gravissimum crimen profecto est.

Ob. VII. Nemo accedere potest ad sacram Synaxim nisi debita sit imbutus religiosa institutione; iamvero pueri statim post adeptum rationis usum debitam institutionem habere nequeunt. Ergo.

R. 1° Ea cognitio de rebus divinis requiritur quae aetati ac puerili conditioni congrua sit, non amplior et perfectior, ut perbelle docet decretum ac nos suo loco exposuimus.

2° « Ignorantiam in pueris compensat innocentia », dicit Paludanus [1]; et merito quidem, nam Christus magis profecto optat ut pueri insontes accedant ad primam Communionem quam ut accedant maiori cognitione exornati, sed post commissum actuale peccatum.

3° Ceterum cuinam ex Christi positiva voluntate administratio sacramentorum commissa fuit? Ecclesiae. Ipsi proinde competit determinare quid requiratur pro valide ac licite administrandis suscipiendisque sacramentis. Si igitur R. Pontifex suprema sua auctoritate declaravit quaenam religiosa cognitio sit necessaria pro Communione rite suscipienda, cur dubia, quaestiones aut querimoniae? Nomine eiusdem Christi Pontifex locutus est; quapropter ipsius oraculum tamquam divinum et infallibile haberi debet.

Ob. VIII. Quam maxime difficile est ut parentes sibi persuadeant de obligatione filiorum Eucharistiam suscipiendi statim post adeptum rationis usum.

R. 1° Difficultates, si quae sint, minime destruere possunt ius divinum, cum omnibus compertum sit legem Dei non ab hominum voluntate pendere, sed unius supremi Conditoris arbitrio.

[1] Cfr. Gury-Ballerini, II, n. 320, q. 5, nota *a*.

2° Quaelibet autem difficultas progressu temporis facile aufertur, si parentes aliique curam puerorum gerentes, rite instruantur de praecepto divino circa Eucharistiam suscipiendam.

3° Ordinarii, parochi, concionatores et confessarii, ea qua par est sollicitudine ac prudentia, muniis suis in hac re plane fungantur, et statim, Deo opitulante, difficultas quaelibet evanescet.

Ob. IX. Semel ac pueri ad primam Communionem admissi sint, negligunt omnino religiosam institutionem, cum sibi falso persuadeant sufficienter se instructos esse.

R. 1° Haec opinio ex praxi seu consuetudine pluribus in locis iamdudum recepta provenit, quod nimirum pueri ad sacram Synaxim non admittantur nisi plenam perfectamque catechismi cognitionem calleant. Executio decreti contrarium ostendit; ac ita erronea, si quae forte habeatur, opinio penitus aufertur.

2° Nullum dubium quin ab initio decretum aliquas difficultates experiatur in sua executione. Quid inde tamen? Quaelibet lex plurimas patitur difficultates, potissimum in promulgationis limine, quae certo progressu temporis aut suapte natura plane evanescunt aut prudentia et spirituali charitate auferri profecto possunt.

3° Incommodo autem optime consulitur, si pueri statim post adeptum rationis usum, sacra Mensa recreati, non admittantur ad Communionem generalem seu solemnem nisi postquam sufficienter didicerint catechismum.

4° Valde optandum est ut qualibet in paroecia singulis annis publica catechismi disputatio magna cum solemnitate fiat cum praemiorum distributione, ita ut pueri magis atque magis aliiciantur ad plenam institutionem religiosam adipiscendam.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Josephus Ceppetelli, Patr. Const.
Vicesgerens.

6065